

manet indifferens, debet iuxta Div. Thom. (ad distinctionem divinam) ab alio exteriori determinari ad unum, alias maneret indifferens sicut antea, & vnicè à se determinaretur efficaciter; sed dum causa libera creata gaudet omnibus requisitis constitutibus actum primum proximum, habetque preparatam omnipotentiam ad concurrendum cum ipsa, supponitque motionem ad bonum in communi, aliasque motiones indifferentes, adhuc est indifferens ad amorem, & odium: ergo oportet, quod determinetur ab alio exteriori per motionem ex se efficacem; non potest ab alio exteriori nisi à Deo: ergo debet à Deo determinari.

Secundo. Si à causa creata libera & indifferenti exire posset effectus seu actio determinata, sola seipsam determinaret ad huiusmodi effectum vel actionem; sed hoc non debet admitti: ergo nequit ab ea exire actio determinata nisi à Deo prius natura, & efficaciter determinante. Minor probatur: tum quia alias esset primum, immo & vnicum determinans, & primum, immo & vnicum liberum suae determinationis liberae: siquidem volitio divina solum dat posse elicere actionem liberam pro priori ad eandem actionem liberam, & causa creata determinat concursum divinum ex se indifferenter ad amorem, & odium; sed hoc non potest admitti, licet vtrò concedant adversarij, quia auferret à Deo rationem primae causae, immo primi entis, iuxta dicta in impugnationibus praecedentibus: ergo neque potest admitti, quod causa creata libera seipsam vnicè determinet. Tum etiam: nam si voluntas creata seipsam sola determinaret, haec causalis esset vera, *Quia voluntas creata vult determinare se ad actum amoris pro odij, Deus insluit in talem actum;* atque ita voluntas, & determinatio creata prior esset, voluntasque, & operatio divina posterior, & pedisequa; sed nec hoc potest admitti: ergo idem quod prius. Tum denique: nam si vera est illa maior, sequitur concursum creatum determinare divinum, illumque precedere: ergo subterfugit causalitatem Dei absolute, vel saltem sub aliqua ratione.

28 Nec adversarij effugiunt vim harum probationum dicentes, in rigore concursum creatum non determinare divinum, qui fit concursus in actu secundo: cum vnus non fit ab alio distinctus. Sed concursus divinus, qui à creatore determinatur, est in actu primo concursus omnipotentiae per decretum indifferens oblatum ad amorem, & odium.

Non, inquam, effugiunt, si vera sunt dicta toto num. 24. Siquidem Deus non operatur illum effectum creatum per operationem formaliter transeuntem: ergo vel concursus divinus in toto rigore determinat concursum creatum; vel creatus in toto rigore determinat divinum, qui fit talis in actu secundo; primum

negant adversarij: ergo tenentur concedere secundum. Consequentia prima probatur: nam supposito, quod Deus concurrat per actionem formaliter immanentem, necesse est, quod concursus divinus sit in toto rigore prior natura, quam operatio creata, vel converso: ergo verè & proprie vnus concursus determinat alium. ¶ Hincque inferitur, si semel concursus divinus in actu secundo non est prior natura, quam concursus creatus, sed potius e converso, quod concursus creatus subterfugeret absolute causalitatem Dei: quia prius in quantum tale non pendet effectivè à posteriori. Hinc etiam inferitur, quam meritò clament Thomistae contra adversarios de sublata à Deo ratione primae causae, primique agentis immediati nostrarum operationum liberarum; quin ad hoc absurdum vitandum possit proficere scientia media, sed potius ex eius positione sequatur. Adde: nam adhuc permisso, quod concursus divinus, qui fit talis in actu secundo, in rigore non determinetur per concursum creatum ob rationem indistinctionis factae ab adversarijs, non tamen vitatur, quod concursus omnipotentiae in actu primo oblatum, seu preparatus per decretum indifferens ad amorem, & odium determinetur verè & in rigore per concursum creatum ob rationem oppositam: sed hoc est maximum inconveniens, quod devotare non debent adversarij: si enim est inconveniens concedere, quod concursus divinus in actu secundo in rigore determinetur per concursum creatum, adhuc praecisa ratione indistinctionis; cur non erit idem inconveniens hoc concedere concursui divino in actu primo? (Quod inconveniens infra magis ponderabimus) Ergo falsum est, quod vnus concursus divinus determinetur per concursum creatum.

## §. IV.

## Prosequutio impugnationum.

29 **E**Vasio prima adhibita secundae, & tertiae confirmationi, & adducta num. 22. potest resisti, probando, quod Deus non potest dici verè discernens consentientem à non consentiente, si tota discretio consistit in consensu, & hic non provenit determinative, & electivè à Deo: & ostendendo, quod talis consensus est principalis à voluntate, quam à Deo.

Suadet ergo primum assumptum: Per vos Deus non dicitur verè determinans, licet causae nostrae determinationem: ergo nec debet dici verè discernens, licet verè efficiat discretionem. Probatur consequentia: ideo enim antecedens est verum, quia determinatio ipsa voluntatis nostrae non provenit à Deo determinativè, sed tantum effectivè; sed eodem modo

## Dub. II. In quo consistat auxilium, seu gratia efficax?

do per vos procedit à Deo, in quantum discretio est: ergo si Deus non dicitur in vestra sententia verè determinans, nec debet dici verè discernens. ¶ Confirmatur. Discretio tota, per vos, consistit in consensu, & tota determinatio formalis, etiam per vos, consistit in consensu: ergo vnicum discernens effectivè est vnicum determinans effectivè; sed per vos voluntas nostra est vnicum determinans effectivè nostrum consensum: ergo etiam est vnicum discernens. Patet haec vltima consequentia: nam ipsam debet verificari de discernente effectivè in linea discernentis effectivè, quod verificatur de determinante effectivè: & idem debet verificari de determinante effectivè, quod verificatur de determinatione formali.

Suadet ergo secundò idem assumptum. Nam dari nequit discretio formalis, & passiva consistens in *consensu*, quin detur discretio effectiva, & in actu primo, vt ex se liquet; sed si Deus non determinat nostrum consensum activè, nequit Deus dici verè discernens activè, & ex parte actus primi, etsi activè concurrat ad consensum: ergo si tota discretio formalis consistit in *consensu*, & Deus non determinat activè nostrum consensum, nequit Deus dici verè discernens. Minor probatur: nam in genere causae efficientis, & ex parte actus primi per illum tantum discernitur consentiens à non consentiente, per quem vnicè est dissimilis non consentienti: nam, vt inquit D. August. in lib. de *prodest. SS.* cap. 5. per gratiam, quae est communis bonis, & malis, non discernitur bonus à malo, idque ex terminis ipsis constat; sed si Deus non determinat nostrum consensum activè, consentiens non est dissimilis non consentienti ex parte actus primi per Deum, sed vnicè per propriam voluntatem: quia tantum sunt dissimiles in determinatione, & vnicè haec tribueretur propriae voluntatis: ergo nequit Deus dici verè discernens ex parte actus primi, si activè non determinat nostrum consensum. ¶ Nec prodest dicere, quod etiam discernitur ex parte actus primi per gratiam, quia activè, & principalis insluit in consensum. Non, inquam, prodest: Nam gratia ex se est indifferens & indeterminata: ergo quod activè concurrat, vnicè debetur ei, à quo determinatur ad concurrendum activè; sed per vos vnicè determinatur à voluntate nostra: ergo quod activè concurrat, vnicè debet tribui voluntati nostrae: ergo dissimilitudo & discretio haec in gratia, nempe quod concurrat activè in consentiente, & non in dissentiente, vnicè stat per voluntatem, non per Deum seu per suam gratiam. ¶ Nec similiter prodest recursum ad collationem eiusdem gratiae ex provisione futuri consensu per scientiam mediam. Quia hoc effugium iam deserit hanc primam solutionem, quam impugnamus, & recidit in se.

candam: cum admittat in ipsa gratia ex parte actus primi aliquam discretionem & dissimilitudinem, & consequenter tota discretio non consistit in consensu, nec ab eo vnicè dicitur efficax.

30 Secundum assumptum probatur primò: nam consensus salutaris iuxta praedictam evasivonem, & sententiam communem adversariorum à Deo procedit tantum effectivè, à voluntate verò non tantum effectivè, sed etiam electivè seu determinative: ergo principalis dependet à voluntate, quam à Deo. Probatur consequentia: nam vnaquaque actio magis, ac proinde principalis dependet ab eo, à quo sub pluribus formalitatibus procedit.

Roboratur hoc, seu augetur. Nam iuxta sententiam contrariam concursus Dei in actu secundo identificatur cum concursu voluntatis in actu secundo consistente in ipso consensu; sed praedictus concursus Dei principalis est à voluntate, quam ab ipso Deo: ergo consensus salutaris principalis est à voluntate, quam à Deo. Minor probatur: nam quando idem consensus est à duabus causis, ab ea est principalis, cui magis subordinatur; sed talis concursus prout à Deo magis subordinatur voluntati, quam idem concursus Deo prout à voluntate: ergo principalis est à voluntate, quam à Deo. Minor probatur: nam illi causae magis subordinatur, cui altera causa in actu primo magis subordinatur; sed Deus in actu primo magis subordinatur voluntati, quam contra: quia offert suum concursum vt determinandum à voluntate, & propterea adversarij sponte, sive coacte iam fatentur, Deum in operando subordinari voluntati creatae propter rationem insinuatam: ergo concursus creaturae, & Dei magis subordinatur creaturae, quam Deo.

Roboratur magis. Nam talis concursus, eo ipso quod voluntati subordinatur tanquam efficienti pariter, & determinanti, & Deo tantum vt efficienti, subordinatur voluntati tanquam vnicè habenti immediatam libertatem, & dominium supra eum; sed dominium infert subordinationem: ergo magis subordinatur voluntati, quam Deo.

Nec prodest adversarijs, pro hac impugnatione vitanda, communis recursum ad dependentiam creaturae, quam habet à Deo consentente ei *esse*, & virtutem operandi, cum tamen Deus nihil ab ea accipiat: quae dependentia videtur longè maior ea, quam concursus Dei habet à creatura. Non, inquam, prodest eis: Tum propter dicta num. 26. quia comparatio non fit inter Deum, & creaturam in *esse* entis, vel vt potentis operari, sed in *esse* principij actualiter operantis: ergo si, supposita virtute operandi in creatura, concursus Dei, & creaturae magis dependet ab ista, quam à Deo, magis debet illi subordinari in ratione actualis

principij operantis, quam Deo. Recolatur dicta loco citato, quia crevant solide hanc evasionem. *Tum etiam*: Nam si maior dependentia consensus à Deo salvatur vnicè, quia voluntas habet esse, & virtutem operandi à Deo: ergo ineptus est concursus actualis, & immediatus Dei (qui in sententia adversariorum situs est vnicè in simultaneo) ad probandam maiorem dependentiam ab ipso Deo, quam à voluntate; sed hoc non potest admitti, aliàs frustrà decertarent Theologi contra Durand. & difficile salvaretur prædictum concursum esse specialem gratiam Dei, qualem ponunt Paulus, & Aug. infra ponderandis: ergo non potest concedi, quod actualis concursus Dei magis subordinatur creaturæ, vt actualiter operanti, quam converso.

31 Probatur secundò idem assumptum. Nam si Deus non concurrat in nostrum consensum determinativè & electivè, sed tantum vt determinatus à voluntate creata, Deus subijcit illi suam omnipotentiam; sed hoc est maximum inconveniens, & aliunde arguit consensum non procedere à Deo principalis: ergo non salvatur, Deum concurrere principalis, nisi concurrat etiam determinativè. Maior videtur certa: nam idem est reverè concurrere Deum vt subordinatum creaturæ, ac suam omnipotentiam esse illi subiectam: nam quid est aliquid esse alteri subordinatum, nisi esse sub ordine illius? Et quid est esse sub ordine illius, nisi esse illi subiectum, vt liquet in milite, qui est sub ordine Ducis? Unde adversarij, qui hanc subordinationem concedunt, concedere etiam tenentur omnipotentiam Dei esse creaturæ subiectam; subordinationem Dei ad nos concedunt plures adversarij, & ita Avendaño disp. 17. de Hum. lib. cap. 2. sect. 14. asserit, *subordinationem Dei ad nos constituere nostram libertatem*: ergo concedere tenentur illam maiorem, nempe quod Deus subijcit nobis suam omnipotentiam, ex suppositione quod non concurrat nisi vt determinata à voluntate nostra.

Minor quoad primam partem suadetur: Tum ex D. August. lib. de *Corrèct. & grat.* cap. 14. vbi ait: *Ita velle, & nolle in volentis, & nolentis est potestate, vt divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem*: sed voluntas humana superat potestatem Dei, si omnipotentia est illi subiecta, vt ex se liquet: ergo absurdum est dicere, quod omnipotentia est voluntati nostræ subiecta. Tum etiam ex decreto SS. Innoc. XI. edito 25. Novembris damnantis hanc propositionem: *Deus subijcit nobis suam omnipotentiam.* Nec proficit dicere, in prædictis probationibus solum excludi subiectionem omnipotentia ad nostram voluntatem ex necessitate, non ex liberalitate. Non, inquam, proficit: Tum quia summus Pontifex prædictam propositionem proscribit in eo sensu, in quo à pluribus scientiæ mediæ secta-

toribus erat asserta; sed in illorum mentem non potuit venire ad defensionem suæ scientiæ mediæ, quod Deus ex necessitate subijcit nobis suam omnipotentiam; vel si in illorum mentem cadit, & cogitant non posse negari aliter efficaciam gratiæ descendente à decretis ab intrinseco efficacibus, absque vlla tergiversatione comprehenditur eorum doctrina sub prædicta damnatione: ergo damnata est, prout asseritur ab adversarijs. *Tum etiam*: Nam non solum repugnat iuxta mentem Pontificis, & Augustini, omnipotentiam Dei subijci creaturæ, quatenus est necessitatus ad eam producendam, sed etiam quatenus est necessitatus ad se subijciendum illi semel productæ: nam tam Pontifex quam Augustinus. supponunt existentem creaturam non superantem potestatem Dei, sed illam sibi subijcientem; sed existente libertate creata cum omnibus prærequisitis illam constitutivis, iuxta sententiam contrariam, Deus necessario subijcit illi suam omnipotentiam: ergo propositio, prout ab adversarijs asseritur, opposita est menti Pontificis, & Augustini. Minor probatur: nam, supposita libertate creata, necessario & essentialiter omnipotentia ab ea determinatur, & subordinatur: ergo necessario illi subijcitur. ¶ Nec iterum proficit dicere, omnipotentiam non esse subiectam, sed præcise concursum eius. Non, inquam, proficit: Tum quia adversarij perpetuò negant subordinationem veram in concursibus, quia identificantur realiter: ergo nec possunt concedere veram subiectionem in illis. *Tum etiam*: Nam omnipotentia ipsa vna cum decreto indifferenti propriè determinatur in sententia adversariorum à voluntate creata: ergo omnipotentia in actu primo illi subordinatur, & subijcitur. *Tum denique*: Nam, supposito decreto indifferenti, omnipotentia adhuc non est sufficienter determinata: ergo est subiecta, & subordinata alicui voluntati; non divinæ, quia non determinatur ab ea: ergo, creata.

Hinc probatur eadem minor quoad secundam partem: Nam ex duobus agentibus immediatis illud principalis influit in actionem, quod illam elicit cum minori dependentia; sed Deus, & voluntas creata ita immediatè eliciunt consensum, quod voluntas habeat minorem dependentiam à Deo in concurrente, ac Deus ipse à voluntate: ergo principalis procedit à voluntate, quam à Deo. Minor probatur: nam Deus in ratione principij actualiter operantis, sive consideretur in actu primo proximo, sive in actu secundo, subordinatur voluntati, & non converso, vt supra probatum est; & concedunt adversarij: sed dependentia vnius agentis ab alio arguitur ex subordinatione: ergo Deus in ratione principij actualiter operantis nostrum consensum maiorem dependentiam habet à voluntate creata, quam converso.

Con-

Confirmatur primò. Nam ex duobus elicientibus eandem actionem illud habet maiorem dependentiam, & subordinationem ab alio, cuius potestas est sub potestate alterius, itaut hoc possit vt pro suo libito potestate illius; sed Deus, & voluntas creata in ratione principij immediati, & simultanei operantis consensum ita se habent, quod voluntas creata vtatur pro suo libito potestate Dei, & non converso: nam omnipotentia, supposito decreto indifferenti, ita ponitur sub dominio & potestate voluntatis creata, vt possit eam determinare ad partem, quam maluerit, sive ad consensum, sive ad dissentium, vt omnes sectatores scientiæ mediæ fatentur: ergo Deus habet maiorem dependentiam à voluntate, quam converso: ergo principalis procedit consensus à voluntate, quam à Deo.

Confirmatur secundò, & explicatur hoc nonnullis exemplis. Nam habitus simul concursus cum potentia maiorem dependentiam habet à potentia, quam contrà, quia determinatur à potentia, & propterea actus principalis procedit à potentia, quam ab habitu. Item potentia executiva maiorem dependentiam habet à voluntate, quam voluntas à potentia executiva, quia hæc determinatur à voluntate, & pro eius nutu illa exequitur, ideoque principalis tribuitur voluntati. Tandem (alijs exemplis omisis) si ego ponerem manum meam in manu alterius ad scribendum, vt eam determinet ad efformandum lineas, maiorem dependentiam haberet manus mea à manu alterius, quam converso, scripturaque principalis tribueretur manui alterius; sed, supposito decreto indifferenti, omnipotentia determinatur à voluntate ad partem, quam maluerit, estque (vt sic dicamus) in manu eius: ergo actus voluntatis, & omnipotentia principalis tribuitur voluntati.

Nec, superatis effugijs supra adductis, remanet locus ad aliud, nisi dicatur: quod Deus potest solus elicere consensum, & voluntas non potest illum elicere sine concursu Dei. Sed hoc nullius momenti est: Tum quia licet possit Deus de sua potentia absoluta per se solum elicere operationem non vitalem, & transcendentem, seu converso operationem vitalem, & liberam, qualis est consensus. *Tum etiam*: Nam consensus liber, vt nobis liber, nequit vilo pacto procedere sine influxu nostræ voluntatis, quidquid sit de eo entitativè & secundum se considerato: ergo dum procedit à nostra voluntate liberè, principalis procedit ab ea, si ab ea determinatur. *Tum denique*: Deus concursus saltem simultaneè non potest adhuc de potentia absoluta producere per se solum consensum: ergo si tunc determinatur vnicè à voluntate, debet ab ea principalis procedere.

His omnibus adde, quod licet verificare-

tur, Deum per gratiam esse causam principialem consensus, non tamen posset cum proprietate dici discernens illum, si non est principium determinans, vt probatum est num. 29.

§. V.

Continuatio materiæ, &amp; impugnatio secunda solutionis.

32 **S**ecunda evasio adhibita secundæ, & tertiæ confirmationi, quæ iam communis est inter propugnantes scientiam mediam, imprimis obnoxia manet omnibus impugnacionibus adductis §. præc. Nam adhuc supposita doctrina, in qua hæc evasio fundatur, frequentius docent eius sectatores, quod omnipotentia Dei præparatur per decretum executivum indifferens, concursusque illius in actu primo exhibetur, vt determinandus à voluntate creata; sed hinc probatum manet, voluntatem creatam esse causam principialem consensus salutaris, principalisque discernere se per ipsam consensum: ergo per efficaciam gratiæ in actu primo non vitatur inconveniens intentum ab Apostolo.

Deindè refellitur primò prædicta evasio. Nam iuxta principia scientiæ mediæ in statu conditionato non dicitur Deus discernens per efficaciam & congruitatem gratiæ, quæ sit efficax & congrua in actu primo: ergo nec in statu absoluto. Antecedens est certum: nam iuxta principia scientiæ mediæ totus status conditionatus cum suis principijs antecedit scientiam mediam, ac proindè gratia non redditur efficax & congrua in prædicto statu ex prævisione scientiæ mediæ, vnde vel est ex se efficax in actu primo, vel Deus nequit discernere per gratiam, quæ sit efficax in actu primo. Consequencia verò probatur: nam ad consensum in statu absoluto non sunt persè requisitæ aliæ causæ, quam in statu conditionato, aliàs diversæ essent prædicata essentialia effectus in statu absoluto, ac in statu conditionato: ergo si in principijs scientiæ mediæ nequit in hoc statu Deus dici discernens per efficaciam gratiæ, quæ sit efficax in actu primo, nec in statu absoluto.

33 Confirmatur hoc, & declaratur radicatus. Nam prævisio status conditionati per scientiam mediam, aut ipsa scientia media prævidens statum conditionatum, & auxilium, sub quo Petrus converteretur, vel gaudet tantum antecedentia quadam logica respectu decreti de collatione auxilij; vel præcedit illud prioritate à quo, itaut ex præsentia gratiæ congruæ moveatur Deus ad donationem illius; Sed neutrum proficit, pro salvanda discretionem Dei ex parte actus primi in statu absoluto: ergo in principijs scientiæ mediæ nequit verè Deus discernere in actu

actu primo consentientem à non consentiente in statu absoluto.

Minor quoad primam partem probatur: Nam scientia media, priori illo modo sumpta, est merè speculativa nullo modo causans discretionem, sed illam obiectivè supponens: ergo nulla alia discretio est in statu absoluto, nisi ea quæ prævisâ est in statu conditionato; sed in statu conditionato Deus non dicitur discernens per gratiam, quæ sit efficax in actu primo: ergo si scientia media gaudet tantum antecedentia logica respectu decreti collativi auxilij, sub quo Petrus converteretur, nequit Deus discernere in actu primo Petrum in statu absoluto.

Dices, Deum discernere in actu primo, quoniam conferret auxilium morale saltem inæquale, & maius in actu primo per connotationem ad consensum conditionatum. ¶ Contra est primò: Quia saltem in statu conditionato nulla esset discretio consentientis à non consentiente in actu primo, quia supponerentur cum aequalibus auxilijs, tam in esse entis, quam in esse gratiæ & beneficij; neque in actu secundo discretio tribueretur Deo principalius quam voluntati, ut probatum est §. præc. sed hoc non potest admitti, quia contradicit Apostolo dicenti, *Quis te discernit?* ergo in prædicto statu necessario admittendum est auxilium maius in esse entis & in actu primo, ut salvetur, quòd Deus est, qui discernit.

Secundò, Nam si scientia media tantum antecedit antecedentia logica decretum collativum auxilij, tota differentia Petri à Paulo in statu absoluto, & in actu primo consisteret in eo, quòd Deus prævideret per scientiam mediam consensum conditionatum Petri, & non Pauli; sed hoc non sufficit ad hoc, ut prædictum auxilium sit discretivum Petri à Paulo: ergo Deus non discerneret Petrum à Paulo per collationem auxilij, estò connotet consensum conditionatum. Maior est certa: nam infallibilitas auxilij cum consensu in Petro non competere voluntati ratione sui, ut supponitur, nec rationi scientiæ conditionatæ, quia scientia hæc, cum sit merè speculativa iuxta hunc modum dicendi, non causat, & constituit antecedentem infallibilitatem illius in actu primo: ergo tota differentia sisset præcisè in præscientia consensu conditionati. ¶ Quibus adde, quòd si tantum antecedit antecedentia logica, Deus non movetur ex tali prævisione ad conferendum auxilium, quia efficax; aliàs hæc scientia etiam præcederet prioritate à quo, & causalitatis saltem remotæ collationem auxilij: ergo tota differentia sita est in præscientia illa speculativa. Minor verò probatur: nam si tota differentia Petri à Paulo consistit præcisè in præscientia illa speculativa, collatio auxilij in Petro non est maior adhuc in ratione beneficij: ergo non sub-

scit ad hoc, ut prædictum auxilium sit discretivum Petri à Paulo. Antecedens probatur: nam talis scientia non est libera Deo, sed Petro: siquidem huius determinatio fuit causa unica, quòd Deus prævideret eum consenturum; sed non est speciale beneficium, quod est liberum Petro, & non Deo: ergo collatio auxilij in Petro non est maior adhuc in ratione beneficij.

Urgetur hoc. Nam quamvis Deus per eam scientiam mediam prævideat consensum conditionatum, ex vi cuius videat etiam congruitatem auxilij seu vocationis, si tamen ea scientia fuerit merè speculativa, se habet merè concomitantè ad voluntatem conferendi vocationem; sed si talis scientia se habet merè concomitantè, non salvatur in decreto collativo auxilij ratio beneficij specialis: ergo nec vera discretio in actu primo ex parte Dei. Minor probatur: nam si talis scientia se habet merè concomitantè, eodem prorsus modo se haberet in ordine ad decretum collativum auxilij, ac si subsequeretur, vel ac si nullatenus esset: ergo efficacia etiam auxilij respectu divinæ voluntatis ita se haberet, ac si nullatenus esset efficax, siquidem non movetur Deus ex prævisione congruitatis ad conferendum illud; sed in collatione auxilij efficacis præcedentis ab efficacia non salvatur vera ratio beneficij specialis, quia hoc pacto donat illud Deus, dum reipsa non est efficax, v.g. in Paulo non consensuro: ergo si talis scientia se habet merè concomitantè, non salvatur ratio beneficij specialis.

Urgetur amplius. Nam scientia illa, præcedens præcisè præcedentia logica decretum collativum vocationis congruæ, haberet se ad tale decretum, ac si talis scientia non esset: ergo tale decretum nequiret reputari specialis benevolentia, discretio, aut miseratione potius, quam decretum vocationis incongruæ. Probatur consequentia: tum quia decretum collativum vtriusque vocationis remaneret idem tam physice, quam moraliter. Tum etiam: quia tota efficacia vocationis congruæ desumeretur ex determinatione voluntatis nostræ sub tali auxilio, & non ex decreto conferente auxilium efficax, cum Deus non movetur, iuxta hunc modum dicendi ex prævisione efficacis ad conferendum illud. Adde: Nam iuxta D. Thom. quest. 6. de Verit. art. 3. in corp. est contra scripturam sacram, & dicta Sanctorum; quòd prædestinatio non sit certa certitudine causalitatis mediourum; sed non esset sic certa, si Deus non moveretur ex præscientia infallibilitatis vocationum ad eas tribuendas: ergo discretio, quæ Deus discernit prædestinatum à reprobo per prædestinationem iuxta Scripturam, & ecclesiæ Patres non salvatur, si scientia conditionata tantum gaudet antecedentia logica respectu decreti conferentis auxilium, aliàs efficax. Minor probatur: nam si Deus non movetur ex præ-

scien-

scientia auxilij efficacis quia efficax, Deus non vellet illud, quia efficax est, & efficacia illius per accidens se haberet respectu volitionis divinæ, cum Deus non moveret, disliceret, aut iuvaret ad eam volendam: ergo prædestinatio non esset certa certitudine causalitatis mediourum. Patet consequentia: quia tota certitudo causalitatis funderet à volitione producente media efficacia quia efficacia.

34 Deinde probatur eadem minor eiusdem confirmationis, quoad secundam partem, quæ consistit in eo, quòd Deus non discernat in actu primo consentientem à non consentiente per auxilium efficax ab extrinseco, etiamsi scientia media præcedat prioritate à quo decretum collativum auxilij efficacis. Nam etsi scientia media præcedat prioritate à quo consensum salutarem, quatenus præcedit sic decretum, decretum vocationem, & vocatio consensum, nihil tamen amplius facit, nisi quod facit vocatio; sed vocatio non discernit consentientem à non consentiente: ergo Deus non discernit illum in actu primo per auxilium ab extrinseco efficax, etiamsi scientia media præcedat prioritate à quo decretum collativum auxilij efficacis. Maior est certa: nam causa mediata nihil amplius facit, nisi quod facit immediata, & certum est iuxta dicta, quòd vocatio est causa immediata consensu, & scientia media non est huius causa nisi media vocatione.

Minor verò probatur primò: Nam vocatio non est entitativè nisi auxilium merè sufficiens, ut omnes adversarij proclamant; sed per auxilium, quod entitativè est merè sufficiens, non discernitur consentiens à non consentiente, quia sic est vtriusque commune: ergo vocatio non discernit consentientem à non consentiente. Quæ probatio suadet eodem modo contra eos, qui cum Suarez admittunt prædeterminationes efficaces purè entitativas, supponentes essentialiter scientiam mediam: vel quia in nullorum adversariorum sententia sunt simpliciter necessaria ad perfectam providentiam actuum nostrorum, ut docet Suarez lib. 2. de Concurſu Dei cap. 7. & lib. 5. de Grat. cap. ultim. num. 25. vel quia tantum movet Deum ad conferendum auxilium entitativè merè sufficiens.

Secundò ( & roboratur præcedens probatio) Nam supposita scientia media cum prædicta prioritate à quo, & admittâ prædeterminatione efficaci intentiva ex directione scientiæ mediæ, Deus non præparat immediatè suam omnipotentiam, per decretum exequutivum ab intrinseco efficax, sed per decretum indifferens determinandum à voluntate creata, neque confert auxilium determinans physicè consensum, sed præcisè præbet auxilium entitativè merè sufficiens determinandum etiam à voluntate nostra, ut omnes contrarij vno ore fatentur: ergo non est vocatio, quæ principaliter discernit, sed

voluntas nostra. Probatur consequentia: nam discretio formalis, seu in actu secundo vnicè consistit in consensu: ergo id principalius active discernit per eum, à quo principalius procedit; sed principalius procedit à voluntate nostra, quam à vocatione adhuc congrua: ergo voluntas principalius discernit, quam vocatio. Minor probatur: nam in omni statu sive conditionato, sive absoluto illud agens est principalis, quòd vnicè determinat, ut latè probavimus à num. 30. sed per vos tam decretum immediate præparativum omnipotentia, quam vocatio congrua in actu primo determinatur in vtroque statu à voluntate creata: ergo discretio formalis, seu in actu secundo principalius procedit ab ea.

Tertiò probatur eadem minor. Nam voluntas nostra discernit gratiam collatam ex prævisione scientiæ mediæ cum prædeterminatione intentiva, sive efficaci, sive non efficaci: ergo vocatio non est, quæ discernit in actu primo. Antecedens probatur: nam auxilia collata consentienti, & non consentienti discernuntur per efficaciam, & inefficaciam; sed gratia collata consentienti in doctrina adversariorum redditur efficax in actu primo per consensum ut prævisum per scientiam mediam, id est per consensum conditionatum: ergo voluntas est, quæ discernit gratiam collatam consentienti. Probatur consequentia: nam voluntas nostra est, quæ vnicè discernit gratiam in statu conditionato, quia ea sola determinat activitatem illius ( pro quo recolenda sunt dicta à num. 30.) sed per vos redditur efficax in actu primo, & in statu absoluto per consensum conditionatum: ergo etiam voluntas nostra in statu absoluto discernit gratiam.

Urgetur. Si scientia media præcedit vocationem efficacem præcedentia causalitatis, Deus movetur ex præscientia suæ efficacis, seu quia efficax est ad illam prædestinendam, & conferendam, ut testantur adversarij, qui hunc modum tuerentur; itaut Deus illum non conferret, si esset inefficax: ergo pro priori ad prævisionem scientiæ mediæ, & prædeterminationem intelligitur efficacia gratiæ: ergo ille discernit gratiam, qui est causa sue ratio, quare sit efficax pro priori ad prævisionem scientiæ mediæ; sed voluntas nostra pro priori ad prævisionem scientiæ mediæ est unica causa, cur gratia sit efficax: quia vnicè dependet ex sola libera determinatione illius in statu conditionato: ergo præcipua radix, qua discernitur gratia efficax ab inefficaci in statu absoluto, est nostra voluntas.

Nec refert, si dicas, quòd etsi voluntas nostra sit radix, cur gratia sit efficax, non tamen est causa, cur Deus tribuat gratiam efficacem. Non, inquam, refert: Nam Deum conferre gratiam efficacem duo importat, nempe

pè

pè vocare ut sic, & quòd vocatio sit efficax, itatur Deus non discernat in actu primo consentientem à non consentiente per vocationem ut sic, sed quatenus consentivo tribuit illam ut efficacem; sed voluntas nostra est radix, cur Deus vocet illam efficaciter, licet non sit causa cur absolute illam vocet: ergo illa est causa unica discernens gratiam efficacem ab inefficaci.

Roboratur. Quamvis à Deo vnicè dependeat, quòd existat vocatio congrua; à voluntate tamen nostra vnicè dependet, quòd talis vocatio sit congrua in actu primo: redditur enim congrua per consensum conditionatum ex determinatione solius voluntatis: ergo vocatio ex se non est, quæ discernit, sed nostra voluntas. Patet consequentia: cum discretio ex congruitate proveniat.

Roboratur ampliùs. Nam per vos Deus discernit in actu primo, quia solus ille est, qui determinat vocationem congruam producens hanc potens producere vocationem incongruam; sed in principijs adversariorum Deus habet proximam potestatem ad illam producendam dependenter à nostra voluntate: ergo hæc est, quæ præcipuè, & radicaliter discernit. Minor est certa: nam scientia media determinatè sumpta, hoc est de vocatione congrua, iuxta ipsos convenit Deo ex determinatione conditionata nostræ voluntatis; sed potestas proxima Dei ad vocationem congruam conferendam dependet à scientia media, maximè iuxta modum, quem impugnamus, de præcedentia causalitatis respectu decreti: ergo de primo ad vltimum potestas proxima Dei ad conferendam vocationem efficacem convenit Deo dependenter à determinatione libera nostræ voluntatis. Hinc facile probatur consequentia anterioris syllogismi: nam principaliter discernit, qui est præcipua causa potestatis proximè ipsius discretionis, quam qui est proxima causa ipsius discretionis; sed iuxta vestra principia Deus est proxima causa discretionis in actu primo relucens in vocatione congrua, voluntas autem nostra est ratio à priori, cur Deus habeat potestatem proximam ad illam producendam: ergo voluntas nostra est, quæ præcipuè & radicaliter discernit.

## §. VI.

## Progressio impugnationum eiusdem solutionis.

35 **A**lio medio impugnatur secunda, & præcipua solutio adversariorum. Nam si Deus diceretur discernens in actu primo consentientem à non consentiente per collationem auxilij enititativè sufficientis ab extrinseco efficacis ex directione scientiæ mediæ,

sequeretur, quòd etiam discerneret non consentientem à consentiente; hoc non potest admitti; ergo nec discernit in actu primo consentientem à non consentiente. Minor vtrò conceditur ab adversarijs; & merito, alias etiam discerneret non consentientem à consentiente in actu secundo, hoc est per peccatum. Et ratio est perspicua: nam omnis discretio ut in actu primo dicit respectum essentialium ad discretionem prout in actu secundo: ergo si Deus discerneret impium à iusto in actu primo, etiam illum discerneret in actu secundo: ob hanc enim rationem Deus dicitur principaliter discernens in actu secundo iustum ab iniusto, quia iuxta hanc solutionem discernit illum in actu primo, & discretio in actu primo dicit respectum essentialium ad discretionem in actu secundo.

Maiores verò, in qua est tota difficultas, suadetur. Nam ideo Deus discernit consentientem à non consentiente, quia, supposita scientia mediæ sibi non libera auxilij efficacis, liberè confert illud, ex quo inferitur Petrum confensurum; sed Deus etiam habet scientiam mediæ sibi non liberam auxilij inefficacis, & liberè decernit conferre illud, ex quo inferitur infallibiliter Paulum non confensurum: ergo sicut discernit consentientem à non consentiente in actu primo, ita iuxta principia scientiæ mediæ discernit non consentientem à consentiente.

36 Respondent adversarij, quòd licet Deus liberè decernat conferre auxilium inefficax, non movetur ab inefficacia prævisa. E conversò tamen movetur ab efficacia prævisa ad conferendum auxilium efficacis: & propterea discernit iustum ab impio; quin discernat impium à iusto.

Contra est primò. Nam potest Deus conferre auxilium prævisum efficacis, quin moveatur ex efficacia illius: siquidem in communiori sententia authorum Societatis directio scientiæ mediæ in actu secundo non est necessaria ad collationem auxilij efficacis; & tamen tunc tribueretur Deo discretio consentientis à non consentiente in actu primo: ergo pariter, estò Deus non moveatur ex inefficacia auxilij ad collationem illius, etiam tribueretur ei discretio non consentientis à consentiente in actu primo.

Secundò. Nam propterea in complexo ex scientia mediæ efficacis auxilij, & decreto conferendi auxilium stat discretio consentientis in actu primo, quia ex illo infallibiliter sequitur consensus; sed ex complexo scientiæ mediæ de inefficacia auxilij, & decreto collativo illius infallibiliter sequitur carentia consensus: ergo eodem modo, iuxta principia scientiæ mediæ, debet tribui Deo discretio in actu primo non consentientis, ac consentientis. *Roboratur*: Ideo

tri.

tribuitur Deo, iuxta PP. Societatis, discretio in actu primo consentientis, quia in complexo ex scientia mediæ efficacis auxilij, & decreto Deus determinat decretum, licet voluntas nostra determinet scientiam efficacis, & libertatem Dei, seu eius potestatem ad conferendum auxilium efficacis; sed in complexo ex scientia mediæ inefficacis, & decreto Deus determinat decretum; ergo etiam Deus discernit in actu primo non consentientem. *Roboratur magis*: Non potest negari, quòd datur discretio extrinseca in actu primo inter iustum, & impium consentientem in utroque complexo proximè assignato; sed iuxta principia contraria Deus discernit primum complexum pertinens ad iustum, quia determinat decretum, & non voluntas nostra, quæ determinat scientiam mediæ: ergo cum in secundo complexo, pertinenti ad impium, Deus determinat decretum, sequitur, quòd Deo tribuitur discretio extrinseca impij. Patet consequentia: quia non apparet vlla disparitatis ratio, cur voluntas sit, quæ discernat secundum complexum à primo, quia determinat scientiam; & non discernat primum à secundo, si determinat scientiam; vel econtra non est ratio, cur Deus discernat primum complexum à secundo, quia determinat decretum; & non discernat secundum à primo, cum determinet decretum.

37 Nec valet, si dicant, decretum ponendi auxilium, quòd prævisum est fore inefficax, non dependere essentialiter à scientia mediæ peccati ut conditionatè futuri, sed mediante alio decreto, quo Deus velit ex ea scientia mediæ procedere ad decernendum auxilij positionem, cum possit nolle sic procedere. Non inquam, valet: Nam, ut supra dictum est, nec decretum ponendi auxilium efficacis dependet essentialiter à scientia mediæ actus boni, ut conditionatè futuri in frequentiori sententia contrariorum; & tamen discretio in actu primo consentientis tribuitur vnicè Deo, quia determinat decretum: ergo & discretio extrinseca, & in actu primo non consentientis.

38 Si verò conentur respondere dicendo, quòd Deus per decretum collativum auxilij efficacis dat quid ex se movens voluntatem ad actum bonum, & propterea per illud discernit bonum à malo. Per decretum verò collativum auxilij inefficacis non dat quid ex se inclinans ad actum malum, sed potius ad bonum, ideoque non discernit non consentientem in actu primo per illum.

Contra est. Quia non desunt plures ex adversarijs, qui existimant, Deum posse imprimere voluntati creatæ habitum vitiosum de se inclinante ad actum malum, posseque specialiter causare cogitationem, & affectionem aliquam indeliberatam inclinantes ex se ad malum, & non præconexas persè cum malo moralij

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

ergo tunc Deus eo modo se habebit respectu boni, ac mali. Patet consequentia: nam decretum utrobique est ex se indifferens in sententia adversariorum. Præsertim, quia Deus est absolute causa naturæ humanæ, & quæ sepe actus mali resultant: ergo si Deus, præsciens illorum, talem naturam condidit, etiam discernit in actu primo malum à bono. Patet consequentia: quia sicut auxilium efficacis, cuius Deus est causa, est principium actus boni; ita natura, cuius Deus etiam est causa, est principium actus mali. Quo argumento vult esse Magna Parens August. contra pelagianos, qui curans illos convincere ex testimonio illo Apost. *Quis te discernit?* lib. 2. de Peccat. meritis, & remissionum, eorum effugium his verbis proponit: *Namque illud Apostoli, quòd commemoravi, sic defendere quidam voluerunt, ut dicerent, ideo quid bonum voluntatis habet homo, Deo tribuendum esse, quia & hoc in illo esse non possit, si homo ipse non esset. Cum verò, ut sit aliquid, atque ut homo sit, non habeat nisi à Deo, cur non auctori Deo tribuatur etiam quid quid in illo est bonæ voluntatis, quòd non esset, nisi esset, in quo esset? Quod effugium sic impugnat etiam: Sed hoc modo etiam illud dici potest, malam quoque voluntatem Deo auctori esse tribuendam, quia nec ipsa potest esse in homine, nisi homo esset, in quo esset.*

Quod testimonium sic vergetur contra PP. Societatis. Nam ideo Deus discernit, iuxta ipsos, bonum à malo, quia tribuit libertatem consentitum per decretum, sine qua homo non potest bene agere, & quia simul cum ea efficit bonam voluntatem; sed etiam condidit naturam, sine qua homo non potest peccare, & simul cum ea efficit, iuxta adversarios, malam voluntatem: ergo eodem modo discernit malum à bono, ac bonum à malo.

39 Dices, Deum iustum discernere, quia tribuit libertatem ex animo & affectu, ut bene operetur; sed impio non tribuit naturam ex animo, & affectu peccati. ¶ Contra est primò. Nam semipelagiani possent etiam respondere Augustino, quòd Deus discerneret per initium fidei, estò hoc proveniret præcisè à natura, quia Deus illam confert ex animo & affectu ut bene operetur, & non ex affectu peccati. Nec hoc ignorabat D. August. sed potius clarissimis verbis affirmat lib. 2. de Libero arbitrio cap. 1. & tamen contra illos redarguit dicens, quòd Deo tribueretur peccatum, quia tribuit naturam, sine qua non esset peccatum: ergo quòd Deus tribuat libertatem ex animo & affectu, ut homo bene operetur, & non ex affectu peccati, si nihil amplius facit, non sufficit iuxta Div. August. ad hoc, ut discernat iustum ab impio, & non malum à bono.

Secundò. Nam illa ratio discriminis tantum discernit concursum Dei mediatum ad

Qq

actum

actum bonum à concursu Dei mediato ad actum malum, relinquens tamen omnimodam paritatem in concursu proximo Dei ad utrumque: ergo, attento decreto Dei immediate preparativo omnipotentis, eodem modo discernit Deus impium à bono, ac bonum à malo (Paret consequentia: nam iuxta principia adversariorum decretum Dei immediate preparativum omnipotentis, cum sit indifferens, eodem modo concurrat proximè physice ad actum malum, & bonum) sed hoc non debet admitti: ergo nec Deus discernit iustum ab impio. Minor subsumpta probatur ex sacrosancto Trident. decreto sess. 6. can. 6. ubi sic definit: *Si quis dixerit: mala opera itant bona Deum operari, non permissivè solum, sed etiam propriè & persè adeo ut sit proprium eius opus non minus proditio Iude, quam vocatio Pauli, anathema sit:* ergo non potest admitti, quòd Deus per suum decretum immediatè preparativum omnipotentis eodem modo discernit impium à iusto, ac iustum ab impio.

40 Respondebunt adversarij, intentionem illam ad actum bonum, etsi remotè concurrat ad illum, quo pacto non concurrat ad peccatum, sufficere ad hoc, vt Deus dicatur causa actus boni, & solum permissor actus mali: quia ratione illius actus bonus est Deo voluntarius, & deus est causa moralis eiusdem actus boni; cum tamen ex defectu prædictæ intentionis, voluntatis seu complacentiæ in actu malo Deus non sit causa moralis illius, nec actus malus sit ei voluntarius, sed potius coactus & invitus.

Contra est primò. Nam ex prædicta evasione sequitur imprimis, quòd Deus concursu immediato tam ex parte actus primi, quam ex parte actus secundi eodem modo concurrat ad actum bonum, & ad malum: siquidem concursus Dei in actu secundo consistit in ipsa actione creaturæ sive bona, sive mala, iuxta adversarios, & secundum frequentiorem eorum sententiam actio mala procedit à Deo tam secundum entitatem, quam secundum malitiam, sicut actio bona; & in actu primo consistit in decreto executivo preparante omnipotentiam eodem modo, quantum est ex se, ad actionem malam, ac ad actionem bonam; sed hoc est contra prædictam determinationem Concilij: loquitur enim de concursu immediato, dum ait, *Deum operari*: ergo iste modus dicendi non potest admitti. ¶ Sequitur deinde, Deum concursu physico eodem modo concurrere ad actionem malam, & ad bonam: ergo physice discernit eodem modo malum à bono, ac bonum à malo. Ex quibus sequitur tandem, Deum esse saltem causam physicam persè actionis malæ, sicut & bonæ; quidquid sit de causa morali constituta per prædictam intentionem, vt volunt adversarij; sed nullus Catholicus sustinere valet, quòd Deus concurrat eodem modo physice ad actionem

malam vt malam, & ad bonam vt bonam: ergo.

Contra est secundò. Nam secundum maiorem partem adversariorum, intentio, voluntas, & complacentia in actu bono tantum est inefficax, & adhuc secundum maiorem aliter opinantium intentio efficax non est necessaria ad actum bonum, quamvis multities detur regularata per scientiam mediam; sed intentio inefficax non sufficit ad discernendum magis bonum à malo, quam malum à bono: ergo Minor probatur: tum quia per prædictam voluntatem inefficacem Deus non magis movetur, aut applicat ad actum bonum, quam ad malum, immò ad nullum actum applicat, cum sit pure intentionalis, & speculativa, quamvis pure effectivè & inefficaciter respiciat magis actum bonum, quam malum: ergo ratione illius verè non influit magis ad actum bonum, quam ad malum; sed per intentionem, qua vere Deus non influit magis ad actum bonum, quam ad malum, non potest discerni magis bonus à malo, quam malus à bono: ergo intentio inefficax non sufficit ad discernendum magis bonum à malo, quam malum à bono. Tum etiam: nam dum Deus concurrat ad actum malum, etiam habet intentionem, saltem inefficacem: erga illum, quia, vt inquit Apost. ad Ephes. 1. *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Et vt ait D. Thom. 1. part. quest. 25. art. 5. ad 1. *Nihil facit, nisi quia vult.* Et quest. 19. art. 4. *Operatur omnia per intellectum, & voluntatem.* Et ratio in principijs adversariorum est perspicua: nam omnipotentia preparatur per decretum indifferens ad actum bonum, & ad malum: ergo tale decretum concurrat ad utrumque: ergo æquè, etsi indifferenter, vult utrumque: sed etiam decretum intentivum est indifferens iuxta adversarios: ergo de primo ad vltimum æquè Deus vult actum bonum, & actum malum: ergo intentio inefficax ad actum bonum non sufficit ad discernendum magis bonum à malo, quam malum à bono.

### §. VII.

#### Tertia ratio pro sententia Thomistica.

41 Tertiò probatur nostra sententia. Nam auxilium illud, quo Deus verè & propriè facit, vt faciamus opera salutaria, nequit consistere in entitate ex se, & ex natura sua indifferenti, sed in entitate ex se efficaci & prædeterminante eadem opera salutaria; sed Deus verè & propriè facit, vt faciamus opera salutaria: ergo per auxilium ab intrinseco efficax, & prædeterminativum. Consequentia legitima est. Et minor certissimè constat: tum ex illo Ezechiel. 36. *Faciam, vt in præceptis*

*meis*

### Dub. II. In quo consistat auxilium, seu gratia efficax?

*meis ambuletis, & iudicia mea custodiat, & operentur.* Undè D. August. in lib. de Grat. & libero arbit. cap. 16. sic ait: *Certum est, nos facere, eum faciamus; sed ille facit, vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit: Faciam, vt in iustificationibus meis ambuletis &c.* Et in lib. de Prædest. SS. cap. 11. inquit: *Ideo hæc & nobis præcipiuntur, & dona Dei esse monstrantur, vt intelligatur, quòd & nos ea facimus; & Deus facit, vt illa faciamus. Sicut per Prophetam Ezechielem apertissimè dicit. Quid enim apertius, quam ubi dicit: Ego faciam, vt faciatis &c.* Tum etiam ex Concil. Arausico, can. 9. ubi definit: *Quoties bonum agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, vt operemur, operatur.* Quæ testimonio accipienda esse in sensu proprio, non obscurè deducitur ex secundo testimonio D. Augustini. Maior verò probatur primò: nam auxilium ex natura sua indifferens tantum dat virtutem ad faciendum: ergo non dat voluntati, quòd faciat, sed præcisè quòd sit factiva. Secundò: nam Deum facere, vt voluntas faciat, & non solum vt sit factiva, est Deum determinare voluntatem ad faciendum; sed per auxilium ex natura sua indifferens Deus non determinat voluntatem ad faciendum, sed potius relinquuntur determinandum à voluntate: ergo Deus per illud non facit propriè, vt faciamus, sed per auxilium prædeterminativum. Tertiò: nam de artifice intantum verificatur cum proprietate facere, vt cultellus scindat, inquantum præviè determinat, & physice præmoveret, & prædeterminat ad scindendum: ergo idem quod prius.

42 Huic efficacissimæ rationi respondent communiter recentiores Societatis, negando maiorem. Sufficit enim abundè, inquirunt, vt cum proprietate verificetur Deum facere vt nos faciamus, quòd applicet nos ad opera salutaria per gratiam divinam excitantem, & prævenientem, quæ sit moralis, & quæ interius illustrando intellectum, & alliciendo voluntatem invitet, inclinet, moveatque ipsam ad illa elicienda, adiuvante etiam, concomitante, cooperanteque physice divina gratia. Modus insuper, quo gratia excitans, & præveniens, quæ vi sua morali est futura efficax, nobis à Deo confertur, ostendit adhuc magis, quam propriè dicatur Deum facere, vt nos faciamus: nam donatur à Deo sciente, immò & quia scit effectum, quem habitura est. Unde, vt à Deo prodit, habet non solum moralem utcumque vim movendi, sed etiam vim coniunctam cum infallibilitate effectus, habetque efficaciam in actu primo. Quæ omnia salvantur in gratia ex se indifferenti, & non est necessaria applicatio prædeterminans, sive extrinseca consistens in voluntate divina, sive intrinseca consistens in entitate physica præconnexa cum effectum.

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

Brevius totum hoc explicat dicentes, quòd quoties de Deo affirmatur facere per suam gratiam, vt nos faciamus, minimè significatur Deum prædeterminare nos ad faciendum, præoccupareque nostram liberam determinationem, sed tantum significatur ipsam conferri à Deo tempore opportuno, & ex affectu ad opus bonum, idest in circumstantijs quibus determinatos nos cum eiusdem gratia auxilijs ad illud præcit, & complacet, ratione cuius præscientiæ verificatur, quòd Deus gratia vt efficaci in actu primo facit, vt faciamus.

Pro expeditiori impugnatione huius evasione adverte, nomine *gratia excitantis & prævenientis*, quæ sit moralis, adversarios intelligere gratiam ex se indifferenter ad consensum salutarem, & ad dissentium, & nomine *gratia adiuvantis, concomitantis, & cooperantis* intelligere concursum simultaneum Dei per gratiam item indifferenter ex se, prout talis gratia determinatur à voluntate nostra, vt simul cum ea præstet suum concursum, immò eundem. Quo scito:

Impugnatur primò evasio, quoad eam partem qua sit recursus ad concursum simultaneum seu concomitantem, & cooperantem, necnon adiuvantem modo supra præscripto, vt: pote quid notius. Nam concursus simultaneus Dei non conducit ad hoc, vt verè, & propriè salvetur Deum facere, vt nos faciamus: ergo inutilis est recursus ad illum pro veritate, & rigore prædictæ locutionis assertæ à Scriptura, Concilij, & SS. PP. & admittæ in proprio, & rigoroso sensu ab adversarijs. Antecedens probatur primò: nam Deum propriè facere, vt nos faciamus, significat aliquam causalitatem Dei præcedere præcedentia reali, & naturæ concursum nostrum: nam per *ly facere vt faciamus* quid aliud innuit, nisi quòd *facere Dei* importet ordinem causalitatis respectu nostræ operationis? sicut me facere, vt cultellus scindat, significat meam causalitatem præcedere præcedentia reali, & naturæ cultelli scissionem; sed concursus simultaneus Dei non dicit præcedentiam realem, & naturæ respectu concursus nostri, maxime in sententia adversariorum, quia iuxta ipsos nulla distinctio realis intercedit inter utrumque concursum, & quia nullatenus concursus Dei determinat concursum nostrum: ergo concursus simultaneus Dei non conducit ad hoc, vt verè & propriè salvetur Deum facere, vt nos faciamus. Secundò: Nam si Deum concurrere simultaneè nobiscum esset conduciens ad hoc, vt propriè dicatur Deum facere, vt nos faciamus, cum maiori proprietate salvaretur nos facere, vt Deus faciat, quia tantum esset ex libera determinatione nostra; hoc non potest admitti: nam, vt inquit Magn. Parens August. in lib. 3. Hipognoft. sive Author illius

Qq 2

cap 2

cap. 10. In omni itaque opere sancto prius est voluntas Dei, posterior liberi arbitrii, id est operatur Deus, cooperatur homo. Et ut ait D. Prosper. in epist. ad August. de reliquijs Pelagianorum: *Voluntati divinae impie voluntas humana praefertur; ut ideo quis adiuvetur, quia voluit non, quia adiuvatur, velit.* Item ibi: *Nec considerant gratiam Dei, quam comitem volunt esse, non praeviam humanorum meritorum.* Tandem in lib. 1. de Vocat. gentium cap. 1. loquens cum pelagianis inquit: *Nec advertentium, eandem regulam sibi posse obijci, quod gratiam negent, cum eam humanae voluntatis comitem volunt esse, non ducent.* Et tandem in epist. relata ad August. vocat gratiam Dei non solum operantem, sed etiam praeparantem, & quærit ab eo, quomodo non impediatur arbitrii. Et, ut ait Div. Fulgentius lib. de Grat. Christi cap. 17. *Nec dicat, meum esse velle credere, Dei autem gratia adjuvare. Sed dicat gratia Dei est adjuvare, ut sit meum velle credere.* Quæ efficaciter ostendunt, Deum non operari ex determinatione nostra, sed e converso, & per concursum suum simultaneum has loquutiones salvari non posse: ergo per illum salvari non valet, Deum facere, ut nos faciamus. Patet consequentia: nam prædictæ loquutiones nihil aliud sonant, quam Deum facere, ut nos faciamus, ut eas consideranti constabit.

43 Impugnatur secundò eadem evasio, quoad eam partem qua fit recursus ad motionem præviam moralem indifferentem ex se ad consensum salutarem, & ad dissentium. ¶ Sed prius scire oportet, in quo consistat motio moralis. Pro quo advertit primò, motionem moralem se tenere ex parte intellectus: nam sicut quis dicitur movere alterum moraliter, quatenus mover illum lege, consilio, vel persuasus ad bonum, vel ad malum, ita intellectus movet voluntatem his modis, id est moraliter, cum lex, consilium, & suasio sint actus intellectus. Unde duplicem motionem communiter distinguunt Theologi cum SS. PP. maxime cum Magno Parente August. aliam externam, quæ provenit ab externa prædicatione legis, vel lectione Scripturarum; aliam consistentem in gratia interna illuminante interiori intellectum, & excitante voluntatem, quæ immediate provenit à Deo. ¶ Adverte secundò, talem motionem moralem pertinentem ad intellectum, seu ad actum illius non movere immediate & ratione suæ entitatis physice, sed ratione obiecti, quod voluntati proponit, quatenus proponit bonitatem finis, & utilitatem mediolorum, & alias rationes, vel supplicij, vel præmij, allicientes voluntatem: nam iuxta communiorum sententiam ratio formalis movendi voluntatem non est apprehensio finis, sed sola bonitas, vel utilitas apprehensa, apprehensione se habente per mo-

dum conditionis, & applicationis. Quibus scitis.

Impugnatur primò prædicta solutio quoad hunc recursum ad motionem moralem: Nam de Deo debet verificari, quod facit non tantum moraliter, sed etiam physice, quod nos faciamus; sed per motionem moralem adhuc internam nequit verificari, quod Deus physice facit, ut nos faciamus: ergo præter motionem moralem concedenda est alia physica, qua Deus dicatur facere, ut nos faciamus. Minor liquet ex ipsis terminis, necnon ex proximè dictis & prænotatis: nam motio moralis non fit nisi ratione obiecti propositi: obiectum autem non movet, nisi prout applicatur voluntati, & non applicatur illi, nisi prout existit pure intentionaliter.

44 Maior verò probatur: Tum ex D. Thom. in Ioann. 6. lect. 5. ubi postquam recenset omnes modos, quibus Deus hominem movet moraliter, nempe revelatione veritatis internæ, persuasione, operatione miraculorum, blanditijs, admirabili delectatione, & amore veritatis, immediate subiungit: *Sed quia non solum revelatio externa, vel obiectum virtutem trahendi habet, sed etiam interior instinctus impellens & movens ad credendum; ideo multos trahit Pater ad Filium per instinctum divine operationis moventis interioris cor hominis ad credendum, iuxta illud: Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere.* Et illud: *Cor Regis in manu Domini: quocumque voluerit, vertet illud:* Ergo iuxta D. Thom. Deus non solum facit moraliter, quod nos faciamus, sed etiam physice. Patet consequentia: nam præter omnes modos movendi moraliter, ad quos recurrunt adversarij, vterius addit efficaciorum significatum per illa verba, *per instinctum divine operationis*, per quem Deus interiorius movet, & impellit cor hominis ad credendum.

45 Tum etiam ex Tridentino. Nam si præter gratiam nos intus excitantem datur alia gratia adjuvans, & præveniens ab ea distincta, necessarium concedendum est Deum facere non solum moraliter, sed etiam physice, ut nos faciamus; sed iuxta Trid. præter gratiam excitantem interioris, datur alia gratia adjuvans, & præveniens ab ea distincta: ergo Deus facit non solum moraliter, sed etiam physice, ut nos faciamus. Maior non negatur ab adversarijs: & merito, quia est persè nota: nam si præter gratiam, qua Deus nos prævenit excitando, est alia ab ea distincta, quæ prævenit adjuvando, non solum nos prævenit Deus per motionem moralem, quæ ad gratiam excitantem spectat, sed etiam per motionem physicam & verè effectivam, quod idem est, ac Deum facere physice, ut nos faciamus. Minor verò, in qua est nostra lis cum Molina, suadet ex ipsis verbis Tri-

Tri-

Tridentini: nam sess. 6. cap. 5. ita ait: *Ut qui per peccata à Deo averfi erant, per eius excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo & cooperando, disponunt.* Et ibidem can. 3. sic definit: *Siquis dixerit, sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut penitere posse, sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* Ubi duo notanda sunt primum est, quod non solum gratiam excitantem, sed etiam adjuvantem appellat prævenientem, quia illud adiectivum præveniens iuxta rectam constructionem afficit vtramque gratiam. Secundum est, quod gratia adjuvans est distincta ab excitante: alias rectius loqueretur Concilium dicens, *sine præveniente inspiratione adjuvante:* ergo iuxta Trid. præter gratiam excitantem datur alia gratia adjuvans, & præveniens ab ea distincta. Adde: Nam cooperatio liberi arbitrii est effectus non solum gratiæ excitantis seu moventis moraliter, sed etiam gratiæ adjuvantis, quia Concil. expresse asserit, hominem disponi ad conversionem per vtramque gratiam, ut illi cooperetur: ergo iuxta Concil. concedendum est, gratiam adjuvantem, ut virtualiter saltem ab excitante distinctam, esse prævenientem, nam causa prævenit suum effectum. Sed iuxta adversarios gratia adjuvans sub munere adjuvantis non præcedit nostram cooperationem, seu nostrum velle, quia consistit in concursu simultaneo, qui iuxta ipsos est idem cum nostro concursu: ergo contra Concil. agunt dicentes, quod per gratiam adjuvantem Deus non facit, ut nos faciamus, sed solum per gratiam excitantem seu moralem.

46 Tum deinde: Nam Patres, & Concilia eum modum faciendi concedunt Deo, ut nos faciamus, quem negabat Pelagius; sed Pelagius non negavit, Deum facere moraliter, ut nos faciamus: ergo Patres, & Concilia docent, Deum etiam facere physice, ut nos faciamus. Minor probatur: nam motio, qua Deus facit moraliter, ut nos faciamus, consistit tam in sanctis cogitationibus speculativis, & practicis, quam in quibusdam affectionibus indeliberatis; sed hæc motio, sive pertinentem ad intellectum, sive spectantem ad voluntatem, non negavit Pelagius: nam verba ipsius apud D. August. lib. 1. de gratia Christi cap. 10. sunt hæc: *Operatur in nobis Deus velle, quod bonum est, velle, quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, & motorum more animalium tantummodo presentia diligentes, futura gloria magnitudine, & præmiorum sollicitatione succendit; dum revelatione sapientia in Dei desiderium stupentem suscitavit voluntatem, dum nobis, quod tu ali-*

bi negare non audes, suadet quod bonum est. Quibus verbis complexus est tum gratiam internam, quæ intellectum tam speculative quam practice illuminat, tum gratiam, quæ affectum indeliberatum suscitavit in voluntate: ergo Pelagius non negavit, Deum facere moraliter, ut faciamus. Maior primi syllogismi etiam suadet: nam D. August. in eodem lib. cap. 24. ultra prædictas gratias docet, quod Deus interna atque occulta, mirabili ac inesabili potestate operatur in cordibus hominum non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates; sed Pelagius ultra prædictas gratias, quibus Deus facit moraliter, ut faciamus, aliam non concedit, qua Deus facit physice, & efficaciter, ut faciamus: nam perpetuo exhorruit concedere auxilium efficax inferens infallibiliter consensum, ut tradit D. August. epist. 107. ad Vitalem pelagianum: ergo Augustinus Deo tribuit alium modum faciendi, ut nos faciamus, quem negabat Pelagius, scilicet physicum, & non præcisè moralem. ¶ Adde: Nam Pelagius admisit auxilium sufficiens, seu præstans posse, ut videri potest apud D. August. loco citato de gratia Christi cap. 5. & fideliter relatum à NN. Salmant. tract. 14. disp. 11. à num. 162. sed ad auxilium sufficiens spectat tota motio moralis, quam admittebat Pelagius, & ultra illum concedebat Augustinus auxilium efficax, pro quo possunt videri idem PP. Salmant. ibidem à num. 165. ex quo colligunt cum alijs, ultimam & præcipuam controversiam D. Augustini cum Pelagio fuisse circa auxilium efficax: ergo ultra motionem moralem, quam concedebat Pelagius, tribuit Augustinus Deo modum nos movendi physice efficaciter, quem ille negabat. Pro quo videatur Augustinus apud NN. Salm. loco citato à num. 165. per totum §. & sequentem.

47 Tum præterea: Nam de Deo debet verificari cum proprietate, quod facit, ut nos faciamus; sed per motionem moralem consistentem in vocatione, seu excitatione interna intellectus; & in affectione indeliberata voluntatis, quam concedunt adversarij, non salvatur cum proprietate, Deum facere, ut nos faciamus: ergo Deus etiam facit physice, ut nos faciamus. Maior conceditur vtrò ab adversarijs: & merito, nam in re adeo gravi, & controversa cum hæreticis incredibile est Concilia, & Patres loquutos fuisse in sensu pure metaphorico. Minor verò probatur ex Arist. 1. de Generat. textu 55. asserente, causalitatem finis esse motionem metaphoricam, quia non est motus physicus, sed intentionalis: vnde proprie movere est aliquid efficere, ideoque causa efficiens definitur esse id, à quo simpliciter incipit motus; sed motio moralis est pure intentionalis & obiectiva, ut notavimus num. 43. ergo per eam non salvatur cum proprietate Deum

Deum facere, vt nos faciamus. *Adhuc*: Nam quotiescumque ait Augustin. quod Deus facit, vt faciamus, vitur verbis Apostoli dicentis: *Deus est, qui operatur in nobis & velle*: sic enim vltus est illis, & loquutus lib. de Grat. & lib. arbit. cap. 17. sed ille, qui excitat, & mouet tantum moraliter alium ad aliquid faciendum, solum per metaphoram potest dici, quod illud facit; & propterea qui alium excitat ad elargiendam elemosynam, solum improprie potest dici, quod ipse elargitur: ergo nec Deus proprie potest dici facere, vt nos faciamus, si nos non movet physice, sed tantum moraliter. *Urgetur*: Deus per motionem moralem nihil aliud facit nisi applicare obiectum, vt hoc moueat voluntatem, sicut qui applicat combustibile ad ignem; sed de applicante combustibile ad ignem, nisi improprie, non potest dici, quod comburit: ergo per motionem precise moralem solum improprie potest dici, quod operatur.

48 Tum denique. Nam per eam motionem debet facere Deus, vt nos faciamus, qua verificatur voluntatem non esse mouentem, & motam physice circa idem, non esset primum mouens & se determinans physice, & Deum, principaliter active discernere consentientem a non consentiente, subijcereque sibi physice voluntatem; sed per motionem precise moralem non vitatur, quod voluntas nostra sit mouens, & mota physice circa idem, nec quod sit primum mouens, & primum se determinans physice; nec verificatur, quod Deus sit principaliter discernens active consentientem a non consentiente, & quod subijcat sibi physice nostram voluntatem: ergo Deus non solum facit physice, sed etiam physice, sed etiam physice. Maior ex hucusque dictis debet admitti. Et minor probatur: nam imprimis voluntas est mota physice per operationem, est etiam mouens physice ipsam operationem, quia physice causat eam, quin moueatur (per vos) physice a Deo: ergo esset mouens, & mota physice circa idem. Deinde: Deus per vos non movet physice, nec physice determinat nostram voluntatem, sed hac vnice physice se determinat: ergo esset primum se mouens, & primum se determinans. Præterea: Ille principaliter discernit, qui principaliter causat operationem; sed causa physica principaliter causat operationem liberam, quam causa moralis: ergo, nisi Deus moueat physice nostram voluntatem ad consensum, voluntas nostra, & non Deus, erit principaliter discernens. Tandem: Deus eo modo subijcit sibi nostram voluntatem, quo illam movet, si physice, physice, si tantum moraliter, moraliter tantum: ergo per motionem moralem non illam Deus subijceret sibi physice. ¶ Nec prodest pro his omnibus probationibus recurrere ad scientiam mediam, asserendo quod motio moralis datur a Deo cum presentia, & ex præ-

scientia consensus. Nam hoc simul impugnabitur cum recurru ad gratiam sufficientem ex prævisione consensus per scientiam mediam, quod iam præstatum.

49 Impugnatur tertio evasio adducta num. 42. quoad eam partem, qua sit recurru ad auxilium sufficientem ex prævisione consensus per scientiam mediam, qui recurru est frequens aduersarijs pro motione etiam morali: Nam non solum in statu absoluto, sed etiam in conditionato debet verificari cum proprietate, quod Deus facit, vt nos faciamus; sed in statu conditionato non saluatur cum proprietate Deum facere, vt nos faciamus, nec per auxilium sufficientem adequatum secundum se, ad quod pertinet motio moralis asserta ad aduersarijs, nec per auxilium sufficientem ex prævisione consensus per scientiam mediam: ergo necessaria est alia motio physica distincta ab auxilio sufficienti, vt in statu conditionato verificetur cum proprietate, Deum facere, vt nos faciamus. Maior videtur certa: quia testimonia adducta num. 41. militant pro omni statu. Et quia etiam in statu conditionato debent saluari in Deo iura causa primæ, quæ difficile saluari possent, nisi Deus verè & proprie faceret conditionate, vt nos conditionate faciamus. Minor quoad secundam partem est satis perspicua, quia scientia media supponit consensum conditionatum, gratiamque sufficientem conditionatam. Quoad primam verò suadet: nam per illam gratiam Deus proprie facit, vt nos faciamus in omni statu, per quam verificatur Deum verè & proprie operari nostrum velle, iuxta D. August. regulam traditam num. 47. sed per auxilium sufficientem seu dans posse secundum se Deus verè & proprie non dicitur operari nostrum velle, vt acerrimè decertavit D. August. contra Pelagium, & communiter Theologi contra Durand. ergo neque per auxilium sufficientem secundum se saluatur verè & proprie, Deum facere, vt nos faciamus in aliquo statu. Pro quo videatur D. Thomas 3. Contra gent. cap. 89. vbi hanc rationem illustrat, & prædictam evasionem refellit.

Confirmatur. Quia nequit Deus proprie facere, vt nos faciamus, per illud auxilium, quod non determinat physice nostrum facere: nam aliud est Deum facere, vt nos faciamus, & aliud Deum facere, quod nostra voluntas sit factiva: per hoc enim secundum significatur precise indifferentia ad faciendum, & non faciendum, at per primum determinatio ad faciendum; sed per auxilium sufficientem, etiamsi descendat ex prævisione consensus per scientiam mediam, Deus non determinat nostrum facere; siquidem concurrunt, iuxta principia aduersariorum, ex sola determinatione nostre voluntatis: ergo per illud, estò regulatur per scientiam mediam, nequit

Deus proprie facere, vt nos faciamus.

\*\*\*

g. VIII.

## g. VIII.

Potissimum fundamentum Thomistarum de sumptum ex supremo dominio Dei.

50 Ultimo probatur nostra conclusio: Nam si gratia efficax requisita ad actum liberum salutarem non esset ex se & ab intrinseco efficax, sed dependenter à scientia media, sequeretur possibilem esse casum, in quo Deus, non posset metaphysice convertere liberè hominem, ac proinde nec prædestinare illum ad gloriam vt coronam: sed hoc non potest admitti, vt potè pugnans cum supremo Dei dominio, & cum pluribus testimonijs sacra scripture, & SS. PP. præcipue Augustini: ergo gratia efficax exacta ad actum salutarem liberum non est efficax dependenter à scientia media, sed ex se & ab intrinseco.

Minor ex ipsis testimonijs constat: Nam Esther 13. dicitur: *Domine Rex omnipotens in ditione tua cuncta sunt posita: nec est, qui possit tæ resistere voluntati*. Sap. 11. *Virtuti brachij tui quis resistet?* Et ad Rom. 9. *Voluntati eius quis resistet?* Matth. 9. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahe*. Ex quibus testimonijs colligitur præiudicare supremo dominio Dei, cuiusque omnipotentia, qui concederet possibilem esse casum, in quo Deus non posset metaphysice convertere liberè hominem. Ex quibus infert Magn. Parens August. in Enchirid. cap. 98. quod deciperet impie, qui doceret, *Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere*. Ibi dem cap. 96. *Periclitari ipsum nostre confessionis initium, nisi credamus in Deum Patrem omnipotentem: neque enim ob aliud veraciter vocatur omnipotens, nisi quia, quidquid vult, potest, neque voluntate cuius piam creature voluntatis omnipotentis impeditur effectus*. Et lib. de Grat. & lib. arbit. cap. 14. *Rectissime credimus, etiam peruersas, & fidei contrarias voluntates omnipotentem Deum posse convertere*. Et lib. 11. de Genesi cap. 10. *Possent ipsorum voluntatem hominum in bonum convertere: possent plane, quousiam omnipotens est*. Et lib. de Correct. & grat. cap. 14. *Volenti (id est Deo) saluum facere nullum hominis resistit arbitrium: sic enim velle, vel nolle in volentis, aut nolentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediatur, nec superet potestatem*. Ubi addit: *Habet humanorum cordium, quo placet, inclinandum omnipotentissimam potestatem*. Ibiq; concludit: *Magis habet in potestate sua voluntates hominum, quam ipsi suas*.

Sequela maioris probatur: Nam si Deus per scientiam mediam videt Petrum reititutum

auxilio A, potest etiam videre reititutum auxilio B, & sic de alijs pluribus, immo de infinitis, & de omnibus possibilibus, quia omnia sunt ex se indifferentia: ergo poterunt singula, & omnia apparere inefficacia: ergo si gratia efficax requisita ad actum liberum salutarem non esset ex se efficax, sed dependenter à scientia media, possibilis erit casus, in quo Deus metaphysice non posset convertere hominem, nec prædestinare ad gloriam vt coronam.

51 Respondent aliqui cum Ripalda in M. SS. de Prædest. relato ab Henao, concedendo possibilem esse casum, in quo per scientiam mediam nullum auxilium appareat efficax, Negant tamen casum, in quo Deus non possit absolute convertere liberè: quia ad hoc sufficit, quod Deus possit conferre auxilium, quo voluntas creata possit converti: nam sicut hanc converti per auxilium Dei est Deum illum convertere cum suo auxilio, ita eam posse converti erit posse Deum tali auxilio eam convertere. Et cum sit metaphysice impossibilis casus, in quo Deus non possit conferre voluntati creatæ auxilium sufficientem, quo ipsa possit converti, hinc inferret esse impossibilem casum, in quo Deus non possit illam liberè convertere.

Sed hæc evasio multipliciter refellitur. Primo: Nam ex hac solutione sequitur, quod Deus possit hominem convertere liberè sufficienter, secus verò efficiatur; sed hoc est contra D. August. hoc repræhendentem in epist. 107. ad Vitalem Pelagianum, vbi ait: *Operatur quippe ille (dicitur) quanto in ipso est, vt velimus; nos vero, vt operatio eius nihil in nobis proficit, efficiamus*. Ergo per prædictam solutionem non fit satis nostra rationi. ¶ Secundo: Nam iuxta D. August. non solum debet verificari, quod Deus possit convertere conferendo auxilium sufficientem, sed etiam quod voluntas creata non possit impedire incretam, ne actu prædestinet; sed iuxta solutionem datam voluntas creata potest impedire diuinam, ne actu prædestinet: ergo non potest admitti. ¶ Tertio: Nam vt verificetur, quod Deus possit convertere voluntatem quando, vbi, & quomodo ipse velit, non sufficit, quod possit illam convertere, quando ipsa velit, sed quando ipse Deus velit, non quia conversionem possit ipse solus efficere, sed quia ipse solus ita potest velle, vt impossibile sit consequenter, quod non sequatur conversio elicta à voluntate creata. Nam, vt inquit Div. August. lib. de Spirit. & litter. cap. 31. *Hanc diuinam potestatem, ubi voluntati adiacet facultas faciendi. Unde hoc quisque in potestate habere dicitur, quod, si vult, facit; si non vult, non facit*; sed iuxta Ripaldam, etiamsi Deus velit convertere hominem, non faceret illum converti actu: ergo signum est, quod non esset absolute in potestate Dei illum liberè convertere. ¶ Quar-

to. Nam, vt omnes sectatores scientiæ mediæ arguunt contra Thomistas, qui non habet, nec pro suo libito potest habere aliquid requisitum essentialiter ad operationem, non illam habet in sua potestate; sed in illo eventu, metaphysicè possibile, de nullo auxilio efficaci, Deus non haberet, nec pro suo libito potest habere aliquid essentialiter requisitum ad conversionem liberam, nempe scientiam mediæ de efficacia auxilij, quæ est essentialiter requisita ad existentiam conversionis ex parte Dei: ergo Deus in illo eventu non potest absolute illam efficere. Ex quo inferitur, voluntatem creatam posse auxilium sufficiens reddere efficacem, & non voluntatem divinam: quia illa potest se convertere, si vellet, & impedire scientiam mediæ de inefficacia auxiliorum, quod voluntas divina nequit facere, etiam si vellet. Quod quàm alienum sit à doctrina Augustini, quisque videbit, si recolat testimonia supra adducta. ¶ Quinto, Deus independentè à præscientia conditionata conversionis non potest saltem proximè ponere illam: nam potestas proxima Dei ad ponendam efficaciter conversionem supponit præscientiam conditionatam illius, vt docent communiter recentiores Societatis; sed qui potest impediri à potentia proxima comparanda, vel qui pro suo libito non potest illam comparare, non potest dici, quod absolute potest: ergo Deus non potest absolute, & infallibiliter ponere conversionem in illo eventu. Propter hæc, & alia, quæ brevitate gratia omittimus, hæc solutio Rinaldi communiter deseritur à suis Socijs, qui ad alios duos modos plausibiles recurrunt.

52 Primus ergo modus, quo respondent prædictæ rationi, reducitur ad negandum sequelam de possibilitate metaphysica illius casus. Ad cuius probationem respondent, illam regulam arguendi à resistentia singulorum auxiliorum indifferenter in statu conditionato ad resistentiam omnium sapere fallere. Homo enim iustus nequit potestate morali, & efficaci vitare diu sine speciali Dei gratia omnia peccata venialia; & tamen potest singula, & per breve tempus omnia. Item peccator, nisi adiuvetur per gratiam, non potest longo tempore vitare omnia peccata mortalia, cum possit singula. Rursus Deus in hoc instanti potest producere singulas creaturas posibles, & non potest simul producere omnes. Sic ergo potest discuti circa potestatem resistendi singulis auxilijs, & necessitatem metaphysicam non resistendi omnibus in statu conditionato.

Hæc tamen solutio evertitur primò, retorquendo exempla in sui favorem proximè adducta. Nam imprimis homo iustus potest per breve tempus sine speciali Dei gratia vitare omnia peccata venialia, quia potest singula vitare: ergo si homo potest resistere singulis auxilijs sufficientibus, etiam potest per breve spacium

resistere omnibus, quæ in illo disiunctivè communicari possunt, quæ sunt syncategorematicè infinita. Per quod retorquetur secundum exemplum. Deinde: Nam quia qualibet creatura possibile potest non existere, & non existentia vnus est compatibilis cum non existentia alterius, rectè valet: *Ergo possibile est casus, in quo nulla existat*: ergo etiam valet: *Voluntas in statu conditionato potest non consentire singulis auxilijs sufficientibus, & non consentire vni est compatibilis cum non consentire alijs*: ergo possibile est casus, in quo prævideatur non consentura vlli auxilio.

Evertitur secundò. Nam propterea potest quis prævideri resistens singulis auxilijs, quia ex se sunt indifferenter ad conversionem, & ad carentiam eius; sed omnia auxilia collectivè accepta etiam sunt ex se indifferenter, ita ut in tota collectione nullum determinate sit, quod inferat ex se infallibiliter conversionem: & propterea si per impossibile Deus conferret omnia simul, adhuc voluntas esset indifferens ad vtrumque: ergo potest prævideri resistens in statu conditionato omnibus auxilijs collectivè. *Roboratur.* Deus, præscindendo à scientia mediæ, cognoscit tantum per scientiam simplicis intelligentiæ Petrum esse indifferenter ad conversionem, & ad eius carentiam ratione collectionis auxiliorum sufficientium, aliàs daretur connectio metaphysica collectionis cum conversione, & hæc connectio deberet esse antecedens nostram libertatem; sed scientia mediæ non facit, sed supponit suum obiectum: ergo etiam per scientiam mediæ potest Petrus prævideri in statu conditionato indifferens ad conversionem, & ad eius carentiam ratione collectionis auxiliorum, ac proinde tota collectio in illo statu non habet infallibilem connexionem cum conversione: ergo potest prævideri resistens toti collectioni. ¶ *Roboratur* amplius sub alia forma. Nam si infinita collectio auxiliorum ex se indifferenter fundaret metaphysicam infallibilitatem conversionis liberæ, Deus noscens illam collectionem per scientiam simplicis intelligentiæ posset habere decretum efficacem saltem intentivum ipsius antevertere scientiam mediæ, sed hoc in sententiâ adversariorum non potest admitti, aliàs conversio non esset libera, iuxta illud axioma ab illis mordicis retentum, videlicet, *Principium à nobis inimpedibile, inferens infallibiliter nostrum actum, destruit libertatem nostram*: ergo non fundat. *Vel sub alia*: Nam vis omnium auxiliorum simul, vel est ex se connexa cum actu; vel non? Si non est: ergo, ea præcisè attendita, non importat contradictionem carentiæ actus. Si est: ergo potest Deus habere decretum efficacem saltem intentivum ipsius actus: ergo hic nequit esse liber. Patet consequentia: ob adductum axioma.

Evert.

Evertitur tertio. Nam prædictus casus non repugnat, siue cumulus auxiliorum sit finitus, aut infinitus. Et quidem de cumulo finito auxiliorum communiter admittitur ab adversarijs. Et merito: aliàs posset dari casus, in quo voluntas creata infallibiliter converteretur per centum auxilia, & per decem, & per quatuor, & per duo: quia non est maior ratio de vno casu, ac de alijs, cum omnia auxilia sint eiusdem rationis specificæ, & solum differant penes magis, & minus. Possetque vterius dari casus, in quo nulli auxilio posset resistere: nam eadem ratio militat de vno, ac de duobus auxilijs determinatis.

Quoad secundam verò partem probatur assumptum. Nam voluntas non minus libera est sub omnibus illis ad resistendum, quàm ad consentiendum: ergo prædictus casus non repugnat, etiam si cumulus auxiliorum sit infinitus. ¶ Dices, voluntatem posse resistere infinitis, & omnibus determinatè sumptis, secus verò confusè & vagè acceptis. *Contra est*: Nam nullum auxilium ex tota collectione, siue sumatur determinatè, siue vagè, est ex se efficax iuxta sententiam contrariam: ergo voluntas manet cum plena libertate ad resistendum omnibus auxilijs, siue sumatur determinatè, siue vagè.

Confirmatur. Nam idem est, voluntatem non posse resistere omnibus auxilijs, & fortè infinitis confusè, in suppositione quod possit resistere omnibus in particulari, ac non posse resistere alicui, vel aliquibus ex tot auxilijs, & inferioribus in infinitum in tota collectione comprehensis, in suppositione quod resisterit iam pluribus finitis, vel infinitis; sed hoc non tollit, quod possit resistere omnibus confusè: ergo. Minor probatur: nam libertas, sub qua voluntas prævidetur conditionatè resistens, non determinat, impedit, aut tollit libertatem, aut libertates subsequentes adhuc vagè acceptas: quia nullam connexionem, aut oppositionem habet cum illis: ergo.

53 Evertitur quartò. Nam adhuc admisso, casum esse impossibilem attenda collectione omnium auxiliorum, hinc tamen non evitatur casus, in quo Deus non possit Petrum liberè convertere vt constitutum in tali ordine rerum, & sub determinato auxilio; sed hoc repugnat: ergo contra supremum dominium Dei, cuiusque omnipotentiam procedit, qui negat auxilium ab intrinseco efficaci. Maior videtur certa in principijs adversariorum: nam datur casus, in quo Petrus prævideatur per scientiam mediæ conditionatè non consenturus, in quo Deus absolute non potest illum convertere: quia potestas Dei absoluta ad convertendum hominem liberè supponit essentialiter scientiam mediæ Deo non liberam de conversione libera conditionatè futura. Minor verò probatur: tum quia repugnat, iuxta testimonia Scripturæ, &

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

PP. præcipue Augustini, quod Deus non possit omnipotentissima potestate convertere voluntatem, quam voluerit, quando, quomodo, & vbi voluerit: ergo repugnat casus, in quo Deus absolute non possit convertere liberè hominem constitutum in tali rerum ordine, & sub determinato auxilio. Tum etiam: nam repugnat, quod voluntas sub aliquo auxilio determinato, & in tali ordine rerum constituta possit proximè se convertere liberè, & Deus absolute non possit illam convertere liberè, aliàs aliquid, quod esset possibile voluntati creatæ, esset Deo impossibile, & carentia conversionis esset libera voluntati creatæ, non autem increatæ; sed voluntas creata potest absolute proximè se convertere liberè cum quolibet auxilio determinato, & sub quolibet ordine rerum constituta ergo repugnat casus, in quo Deus non possit liberè convertere hominem sub determinato auxilio, & in tali ordine rerum constitutum.

Dicere autem (vt dicunt adversarij) hoc nullum esse absurdum: quia impotentia prædicta in Deo provenit ex divinæ libertatis usu in productione, & conversione voluntatis, in hacque instruenda determinatis principijs libertatis, quibus ei reliquat se determinare elective per consensum, vel per eius carentiam, opponitur imprimis Trident. sess. 6. cap. 5. vbi ait: *Cum dicitur, Convertimini, & ego convertar ad vos, libertatis nostræ advenitur: Cum respondemus, Convertite nos Domine, & convertemur, Dei nos gratia præveniri confitemur*; ergo postquam libertatis nostræ advenitur supposita productione, & conversione voluntatis, & lijs comprincipijs libertatis per auxilium sufficiens, in quacumque occasione veraciter petimus, quod Deus nos convertat; sed non rectè petimus à Deo, quod ipse præstare non valet: ergo iuxta Concilium non potest prædictum effugium sustineri. Opponitur etiam D. Augustino dicenti, quod Deus habet magis in sua potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas: cum in tali casu homo possit proximè se convertere liberè, & Deus non possit illum convertere: dicenti insuper, quod ita velle, & nolle in voluntatis, & nollentis est potestate, vt divinam voluntatem non impediatur, nec superet potestatem; cum in tali casu homo possit, & Deus non possit: quod est potestatem humanam superare divinam. Opponitur tandem articulo fidei, in quo credimus Deum omnipotentem; cum conversio in tali eventu sit possibilis absolute, quia homo potest se convertere; & Deo non sit possibilis.

\*\*\*  
\*\*\*  
\*\*\*  
\*\*\*

Rē

313



## §. IX.

Secundus modus plausibilis occurrat absurdus.

54 **S**ecundus modus plausibilis occurrat absurdo allato num. 50. duo supponit, & quod sit prorsus impossibilis casus, in quo Deus non possit convertere hominem actu necessario, prædestinareque illum ad gloriam ut hereditatem: & quod talis casus sit impossibilis moraliter, & iuxta regularem, præsentemque providentiam adhuc actu libero. Loquendo tamen de possibilitate metaphysica illius casus, simulque de conversione libera, & prædestinatione ad gloriam ut coronam, admittit illum; quin sequatur aliquod absurdum. Nam imprimis non est contra Scripturam, & PP. illum concedere, si afferat impossibilitatem moralem, de qua præcisè loquuntur. Deinde impotentia metaphysica in Deo admilla ad convertendum hominem actu libero, non est ob defectum omnipotentia, sed quia voluit attemperare eam voluntati creatæ a se productæ cum ea libertate, qua possit resistere cuius vocacioni indifferenti, per quam excitaretur. Sic in sententia Div. Thom. non arguitur defectus omnipotentia ex eo, quod Deus Angelum semel lapsum non possit convertere. Sicut nec arguitur iuxta communem opinionem Thomistarum ex eo, quod Deus non possit necessitare voluntatem creatam in suppositione quod dirigatur iudicio indifferenti.

Sed contra hanc solutionem stant primò omnia, quæ diximus num. præc. per totum. Stat secundo, quod ex ea colligitur, Deum non esse metaphysicè omnipotentem; hoc non admittit prædicta solutio: ergo non est sustinenda. Sequela maioris probatur: nam Deus non esset metaphysicè omnipotens, si non potest metaphysicè producere aliquid absolute possibile; sed in eventu, quo omnia auxilia præviderentur conditionate inefficacia, conversio libera esset absolute possibilis, & Deus non posset metaphysicè eam producere: ergo sequeretur Deum non esse metaphysicè omnipotentem. Maior est per se nota. Et minor probatur quoad primam partem (quoad secundam admittitur à respondente) Nam quidquid est absolute possibile causæ, est in se absolute possibile, sicut absolute est existens, quidquid ponitur extra nihil à qualibet causa: sed in illo eventu conversio libera est absolute possibilis voluntati creatæ: ergo est absolute possibilis.

Confirmatur. Si daretur casus, in quo Deus metaphysicè non posset extorquere ab homine substantiam conversionis, rectè argueretur Deum non esse omnipotentem: ergo pariter, si est possibilis casus, in quo non possit ab eo

extrahere conversionem liberam, rectè inferatur non esse omnipotentem. Antecedens conceditur ab adversariis. Consequentia verò probatur: nam propterea antecedens est verum, quia aliquid possibile voluntati creatæ, nempe substantia conversionis, esset metaphysicè impossibilis Deo: sed id ipsum sequitur ex eo, quod possibilis sit casus, in quo Deus non possit ab homine extrahere conversionem liberam: ergo etiam sequitur Deum non esse omnipotentem.

Stat tertio, quod si est possibilis casus, in quo metaphysicè Deus non possit unum hominem convertere, ac proinde omnia auxilia sint ei inefficacia, etiam possibilis foret casus, in quo non possit in alio homine permittere vltimum peccatum, ac proinde omnia auxilia sint inefficacia: par enim est utrobique ratio, sicut æqua libertas est in voluntate creatæ ad conversionem, & ad eius carentiam; sed hoc videtur esse contra Trident. sess. 6. can. 22. ubi definit: *Si quis dixerit, iustificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit*: ergo repugnat casus, in quo omnia auxilia sint inefficacia. Minor probatur: nam tunc quolibet auxilio quantumcumque exiguo homo converteretur, & perseveraret: ergo non indigeret auxilio speciali ad perseverandum; hoc ex diametro opponitur supradicto decreto Concilii: ergo contra illud agit, qui concedit possibilem esse casum, in quo omnia auxilia sint inefficacia.

Adde primò. Nam si possibilis est casus, in quo omnia auxilia prævideantur efficacia, sequitur hominem non teneri, immo nec prudenter posse agere Deo gratias ob non permillum lapsum in peccatum: quia permissio esset Deo impossibilis, cum quolibet auxilio homo illud evitaret, & sine auxilio non possit homo peccare; sed hoc etiam videtur opponi passim Scripturæ, Concilii, & SS. PP. ergo impossibilis est casus, in quo respectu vnius omnia auxilia prævideantur efficacia, & consequenter etiam est impossibilis casus, in quo respectu alterius omnia prævideantur inefficacia.

Adde secundo. Nam si omnia auxilia respectu vnius possunt prævideri inefficacia, & respectu alterius efficacia, sequeretur, tum posse sine recursum ad iudicia profunda Dei reddi rationem, cur vnius eligatur ad gloriam ut coronam, & non alius, tum Deum non discernere principaliter unum ab alio; sed hæc non possunt admitti, quia opponuntur claris testimonijs Scripturæ, & D. Augustini: ergo. Sequela maioris quoad primam partem suadet: nam, suppositis eisdem auxilijs in utroque, ratio electionis in vno, & ratio non electionis in alio esset libertas utriusque: ergo sine recursum ad iudicia Dei redderetur ratio, cur vnius eligatur,

&

& non alius. Quoad secundam etiam suadet: nam Deus in volendo auxilia inefficaci vni, & alteri efficacia aliter se habere non posset: ergo non esset Deus, qui principaliter discerneret.

Stat quartò contra eandem solutionem, sequi ex ea, quod possibile sit casus, in quo respectu omnium creaturarum intellectualium cuncta auxilia viderentur inefficacia: hoc est maximum absurdum; ergo impossibile est casus, in quo respectu vnius cuncta auxilia sint inefficacia. Maior videtur certa: quia sicut respectu vnius omnia auxilia sunt indifferentia, ita respectu omnium: & sicut propter hanc rationem vna voluntas potest resistere omnibus auxilijs possibilibus; ita propter eandem omnes voluntates posibles: quia omnes gaudent æqua libertate, & quia par ratio est de infinitis infinita collectione libertatum, ac de infinitis infinita collectione auxiliorum.

Minor verò probatur: Nam maximum absurdum est, Deum non posse exercere attributum iustitiæ premiativæ, non posse esse obiectum spei theologice: nullum posse à Deo aliquid petere conducens ad virtutem, & meritum vite æternæ, & tandem Deum absolute non esse omnipotentem; sed hæc, & alia sequuntur ex possibilitate prædicti casus. Nam imprimis potentia ad premiandum ex iustitia dependet ex prævisione meriti conditionati futuri; quod tunc in nulla voluntate prævideretur. Deinde obiectum formale spei theologice est omnipotentia, ut saltem potens efficaciter auxiliare; quod tunc Deus respectu nullius voluntatis possibilis posset præstare, quia omnia auxilia possibilis respectu omnium voluntatum possibilem præviderentur conditionate inefficacia, ex quorum prævisione resultat impotentia absoluta proxima Dei ad efficaciter auxiliandum. Hinc inferitur, nullum posse in eo eventu petere à Deo aliquid conducens ad virtutem, & meritum, quia dum petimus, Convertere nos Domine ad te, & convertemur, & in oratione dominica, Et ne nos induas intentionem, petimus auxilium efficax, cum sufficientia nulli denegeretur, & auxilium efficax nulli Deus præstare posset. Et tandem omnipotentia est ad omnia possibilis: & in prædicto eventu gloria ut coronam, & meritum essent possibilis respectu omnium voluntatum possibilem, & non respectu voluntatis increatæ, quod est idem, ac Deum non esse absolute omnipotentem. Ergo ex possibilitate prædicti eventus sequuntur maxima absurda.

55 Pro his omnibus inconvenientibus vitandis, siue quæ spectant ad rationes, siue quæ spectant ad Scripturam, Concilia, & SS. PP. recurrunt adversarij ad duas suppositiones in ea evasione adductas. In quarum prima supponebant, impossibile esse metaphysicè casum, in Tom. III. Paul. Theol. Salm.

quo Deus non possit quemlibet hominem convertere actu necessario. Et in secunda dicebant, duos, aut tres casus in impugnationibus recensitos esse impossibiles moraliter, defecto, & secundum præsentem providentiam: in quo sensu existimant loqui Scripturam, Concilia, & PP.

Sed nulla ex his suppositionibus prodest ad prædicta inconvenientia evadenda. Non prima: nam Scriptura, & præcipue Augustinus loquitur de omnipotentia Dei circa conversionem liberam: ergo non salvatur attributum omnipotentia in Deo, si possibile est casus, in quo Deus metaphysicè non possit convertere liberè hominem. Antecedens probatur: tum quia August. quest. 2. ad Simplician. circa med. inquit: *Quis dicat defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque coniungeret, in qua Iacob. iustificatus est?* Sed Iacob. iustificatus est liberè ergo D. August. loquitur de omnipotentia circa conversionem liberam. Tum etiam: nam lib. 1.

Contra duas epistolas pelagianorum. postquam dixit, quod Deus cor Allucri occultissima, & efficacissima potestate convertit ab indignatione in lenitatem vi suæ omnipotentia, iuxta illud Eith. 13. *Domine Rex omnipotens in ditione tua cuncta sunt posita: nec est, qui resistere possit voluntati tue &c.* immediate ait: *Nam quid homines Dei, qui hæc scripserunt, immo ipse Spiritus Dei... oppugnabant liberum arbitrium?* Tum denique: nam D. Augustinus cum Scriptura, dum Deum faceret omnipotentem, agit contra pelagianos existimantes per efficaciam potentissimam divinæ gratiæ assertam ab ipso Augustino tolli libertatem; sed si loqueretur de conversione necessaria, frustra laborasset, quia id ipsi libenter admittent: ergo loquitur de omnipotentia respectu conversionis liberæ. Adde Nam impugnationes supra adductæ, & absurda in eis comprehensa sequuntur determinatè ex impotentia Dei ad conversionem liberam, ut iterum recolenti constabit, & propterea supervacaneum est illa repetere.

56 Non plus favet secunda. Primò: nam omnes motiones, siue physice, siue morales sunt ex se indifferentes in sententia adversariorum: ergo conversio non connectitur necessarîo moraliter cum aliqua determinata: ergo nec cum pluribus finitis: ergo nec cum omnibus collectivè. Patet hæc vltima consequentia. Tum quia eadem ratio est de omnibus, ac de pluribus finitis, v. g. de mille. Tum & quia omnia collectivè accepta nequeunt si mul communicari. ¶ Secundo, & vrgentius. Nam impossibile est metaphysicè casus, in quo Deus non sit omnipotens, & nisi hoc videretur, manet in suo robore principale inconveniens huiusmodi intentum; sed si est possibilis metaphysicè casus, in quo Deus non possit homi-

Re 3

nem